

Numquam ergo usuræ crimen pertrahitur.

III. Hæc si animadvertisset Auctor Operis: *Dell' impiego del danaro*, sicut alia, quæ in antecessum diximus, sic ea quoque silentio præterisset, quæ habet lib. 3. cap. 1. pag. 213. ubi in Paschalem, Litterarum Provincialium Auctorem, invehitur his verbis: *L' Autor delle lettere Provinciali vorrebbe attribuire a furberie di parole il potersi secondo molti esigere prò, senza usura, poichè dic' egli, per non commettere usura, basterà dire, che non si hanno quattrini da prestare, ma bensì da mettere a frutto. Soffisma però è il suo, perchè la qualità di tutt' i contratti si dichiara con le parole.... E quando una Vedova, cui viene restituita la dote sopra la quale ha da vivere, risponde, che non può metterla in mano a chi non glie ne paghi onesto frutto, nè inganna, nè pregiudica a chi si sia, e si appoggia a giustizia di fatto non di parole. Duo hic animadvertenda. Primum, sophisma istud non Paschalis, sed P. Baunii est, cujus verba Paschalis refert Epist. 8. suntque sequentia: *Is, a quo mutuo petitur pecunia, sic respondet: Non est mihi pecunia, quam mutuo dem; est tamen, quam licita ratione collocem, ut ex ea legitimum mihi redeat lucrum. Alterum, quod sophisma istud potissimum principium sit, cui systema Authoris nostri innititur; quo sublato, universum illius systema corrumpitur. Nonne singulis fere paginis clamat, homines non a prestanza, ma ad interesse locare pecunias suas? Et hoc sophisma vocat? Sophisticum ergo ejusdem systema. Illud etiam perpendendum Adversario recordor; nempe hanc illius levissimam cavillationem tradendæ pecuniæ non mutuo, sed ad lucrum, jam ab integro sæculo inventam a Casuistis, jure ac merito Paschalem carpere, ac deridere tamquam captivulam non dignam Theologo Christiano. Nihil adversus argutam Paschalis irrisionem reponit Interpretes Broedersianus, nisi quod sophisma sit ejusdem argumentatio. Soffisma però è il suo. Opinio, quam ex Baunio Paschalis refert,**

sophisma est. Argumentatio tamen, quam Paschalis deridendam propinat, adeo valida simulque lepida est, ut ejusdem verba Adversarius rescripserit. Scribit Paschalis Epist. 8. *O magnam, inquam, mi Pater, & pene magicam istorum verborum potentiam!* Rescribit Auctor noster alio in sensu loc. cit. pag. 210. *Virtù magica non è per altro da credere venga attribuita a questa voce (Mutuo).* Hæc delibavi obiter, ut intelligerent quidam Scituli nostri, nihil in libris sive Broedersen, sive ejusdem Italici Interpretis occurrere, nisi meram collectionem eorum quæ aut Calvinistæ, aut laxiores pauci Casuistæ fuso calamo scripserant. Neque heinc inferas, me defendere Epistolas ad Provinciales. Scio enim proscriptas eadem ab Ecclesia esse. Sed non omnia, quæ in eisdem continentur, materia sunt damnationis, ut norunt Eruditi omnes.

S. V.

Objecta diluuntur a censuum realium, quos Ecclesia probat, paritate arcessita.

I. Census, quos reales vocant, liciti sunt, & ab Ecclesia pluribus Constitutionibus probati: ergo etiam lucrum ex pecunia mutuo tradita perceptum. Quodnam enim inter utrumque contractum discrimen? Non aliud sane, nisi quod major in illo, quam in hoc securitas, & cautio sit. Hoc est potissimum Adversariorum, Salmasii, Broedersen, aliorumque Affectarum argumentum. Illud fuso calamo proponit Auctor: *Dell' impiego del danaro, lib. 3. cap. 2. p. 226. Perchè mai ha da esser lecito il dar danari, e l' esigere frutto da chi obbliga per essi con istrumento un fondo; e non ha da esser lecito il dargli con onesta condizione, a chi non ci dà per sicurezza, che la sua parola, ed un foglio? Qual effetto fa il censo, e qual' è l' essenziale differenza fra esso, e la Cambial urbana?*

II. Satis mirari haud subit, hæc ab illis

illis opponi posse, qui Catholicam profitentur Religionem. Probat Ecclesia census reales ad suarum Constitutionem amissim celebratos: damnat autem lucrum, seu pensionem perceptam ex mutatione pecuniæ, seu ex cambiis ficcis, sive ex pecunia tradita ad interesse. Ergo, si hi duo contractus absque ulla discriminis ratione idem sunt, aut errat Ecclesia census reales probando, aut errat usuras moderatas damnando. Non errat Ecclesia, quæ nec fallere, nec falli valet, census probando, moderatasque usuras damnando: ergo certum inter utrumque contractum discrimen est. Et sane aliam consequentiam eruere nemo valet ex facta censuum paritate, nisi, aut errasse Ecclesiam census probando, aut veros census, quos Ecclesia probavit, diversos omnino esse a contractu mutui. Siquidem nec ante, nec postquam Ecclesia census probavit, dubitatum Catholicis fuit, an lucrum quodlibet, quantumvis minimum, perceptum ex mutuo esset usura a Deo verita. Articulus iste certus semper in Ecclesia fuit. Alterutrum ergo necessarium est: aut errasse Ecclesiam census probando, quod dici nequit: aut veros reales census esse a contractu mutui omnino distinctos. Ergo falsa, & ineptissima est consequentia, quam erunt Broedersiani, nempe: liciti sunt census: ergo & lucrum ex mutuo. At videamus quam sit utriusque contractus natura diversa. Census, quos Ecclesia probat, sunt contractus emptionis, & venditionis. Materia horum contractuum sunt fundi frugiferi, in quibus usus a rei substantia reipsa distinguitur. Mutationis materia sunt pecunia, vinum, oleum, triticum, quæ usu consumuntur. Non ignoro, hæc a Broedersianis derideri. At deridendos se ipsos propinant, dum adversus octo sæculorum Ecclesiæ Catholicæ Theologos, Canonistas, & Jurisconsultos omnes vexillum erigunt, & classicum canunt, ut Calvino, Molinæo, Salmasio, cæterisque ejusdem factionis, qui primi oppositos invexere errores, herbam porrigant. Præfati

fundi censuum cedunt in dominium emptoris, locanturque venditori: adeoque ipsi emptori pereunt: ergo eidem quoque fructum pariant oportet. Cætera bona in instrumento enumerata fundum divenditum contra solam evictionem præservant: idque æquum, justumque est.

III. Instant. Census hodie haudquam celebrantur ad præscriptum legis Ecclesiæ, sed larvæ sunt venditionis, meraque verborum illusio, vocumque ludus. Sic argumentatur laudatus Auctor Italus pag. 228. *Siensi veri, e secondo la Bolla, in oggi per la grandifficoltà sopravvenute... possum quasi dire, che più non si fanno, e molto difficile sarà che si possano fare. Verum habet, quia difficillima nedum difficilis est via, quæ ducit ad vitam. Omnes avaritiæ student: usura, & dolus ubique fere grassantur. Sequitur Auctor. Veggasi in grazia negl' istrumenti, cui si dà tal nome, se i fondi sieno veramente idonei, e non anteriormente obbligati. Veggasi, se quel solo fondo resti per le clausole ipotecato, o se restino sottoposti tutt' i beni generalmente. Veggasi, se resti proibito il poter mai costringere alla franchizione. Veggasi, se si son misurati, e con nuovi confini distinti i campi.... Resti concordato, che il nome di censo per lo più è vano, e non fa altro effetto, che di assicurare alquanto più a chi investisce il capitale, e l' frutto.*

IV. Næ isthæc valida est argumentandi ratio! Census, qui passim celebrantur, ficti sunt, vani, larvati. Quid hinc? Istos ne probat Ecclesia? Ab homine ratione prædito ejusmodi prodire argutatio potuit? Census, qui hodie celebrantur, sunt meri verborum lusus, & censuum larvæ: & tamen probantur ab Ecclesia. Ergo eodem jure licitæ erunt pensiones ex locatione pecuniæ perceptæ. Prima propositio falsa est. Ergo & secunda.

V. Quid? clamitant. Damnabis ne consuetudinem, moremque universalem Catholicorum? Nulli ne erunt tot census, quos morati, probatique homines celebrant? Paucis respondeo: aut

hi census sunt contra Ecclesie leges, aut secus. Si primum, eos damno. Si secundum, illos probo. Quid ad hæc?

VI. Verum, ne ego piorum etiam hominum mores improbare videar, paucis rem totam expedito. In censu reali distinguenda substantia est, a quibusdam conditionibus. Ad ejusdem substantiam pertinet, quod verus contractus sit venditionis, & emptionis, quacumque fictione sublata. Quod fundi, qui sunt contractus materia, re ipsa frugiferi sint, non aliis creditoribus obnoxii, & a quolibet debito exempti. Hæc omnia substantiam spectant. Conditiones sunt, quod agri, domusque pars designetur; & nonnullæ aliæ clausulæ, quas S. Pius V. ad avertendos a censibus quoscumque dolos, technas, fictionesque prudentissime adjecit. Hæc conditiones, ubi recepta est Piana Constitutio, servantur; secus alibi. Sintne istæ conditiones subjectæ præscriptioni, aliorum esto judicium. Nobis in præsentia sat est, census, quos Ecclesia adprobat, veros, germanosque esse contractus emptionis, & venditionis fundorum, qui suapte natura fructus pariunt. Porro census isti toto cælo differunt a mutuatitæ pecuniæ contractu. Inanis ergo, & prorsus inutilis est censuum paritas. Idque sensibus, nedum ratione percipitur. Nonne vinum oleum, pecunia, triticum usu consumuntur? Hoc ne in agris evenit? Fundi semper iidem remanent, fructusque pariunt. Pecunia ob solam commutationem in aliam mercem, fecunda evadit. Ergo tanta diversitas est inter censum realem, & mutuum, quanta est inter fecunditatem agri, & fecunditatem pecuniæ. Ager cultus fructus parit, quin destruitur. Pecunia, ut fecunda evadat, in aliam commutari mercem debet; atque adeo moraliter hæc destruitur. Ergo toto cælo differunt hi duo contractus. Inanis ergo, & prorsus inutilis est censuum paritas. Ne multa. Omnes sapientes Jurisconsulti, omnes Theologi, omnes Canonistæ, immo omnes Ethnici Philosophi, quæ hæcenus dixi, præparant. S. Joannes Chrysostomus,

sive Author Operis imperfecti, ut ostendimus, discrimen inter censum, & mutuum perhibet. S. Thomas locationem domi a locatione pecuniæ distinguit. Nunc vero pauci Juniores cum Hæreticorum manipulo vultum erigere & frontem audent adversus omnium sæculorum Sapientes? Cæterum praxis illa fere universalis, quæ pios etiam, probosque viros interdum comprehendit, illusio est gravissima, quæ iis fucum facere potest, qui Evangelium ignorant: secus illis, quos non latet, paucos esse electos, plurimos vero, qui rerum terrenarum cupiditatibus possidentur. Ego cæteros non damno; sed nullum censum iniri assentirer, nisi Ecclesie legibus servatis. Ineptum meticulosumque hominem me mundus habeat; dummodo quæ Ecclesia præscribit observem. Census isti primum cautione summa investiti sunt. Post, severas ad eorundem æquitatem servandam clausulas adjecit Ecclesia. Duplicis generis hostes contra pugnant. Alii clamant altum apud antiquos de hi censibus silentium; alii incommoda gravissima eosdem parere, si juxta formulas ab Ecclesia præscriptas celebrentur. Qui audiendi? Quibus parendum in tam gravi negotio? Mundus totus turbaretur, inquis, si censuum consuetudo, quæ obtinet fere ubique, improbareretur. Itane vero? Hæc potissima est laxatæ Theologiæ origo. Non amplius mores ad leges, sed leges ad mores conformantur. Consuetudo passim obtinet, sexto septimoque Decalogi mandato recte, aut oblique adversa. Christiani supra infamam conditionem paullulum elati otio disluunt, ludis, conviviis, theatris, mulierum familiarum conversationi dediti sunt. Eleemosynas, precum studium negligunt, & supra status, & patrimonii conditionem impensas faciunt. Mercatorum dispendio luxum, pompas, ambitionemque fovent: operatorum debita solvere omittunt. Christiani isti non impii, non scelesti sunt; sed communiter Sacramenta frequentant, Sacra celebrant, suos Theologos, Confessariosque habent.

beat. Si illorum mores ad evangelicæ legis normam conformare velis, turbatur mundus; phanaticus inaudis, rem impossibilem factu exposcis. Rectissime. Abolendum ergo Evangelium? Detorquendæ leges ad hominum mores? Hæc obiter, ut pateat laudatæ paritatis a mundi praxi repetitæ utilitas.

§. VI.

Alia resolvuntur objecta, a jure repetita naturali, vi cujus improbatæ moderatæ usuræ non videntur.

I. Nulla adduci naturalis ratio potest, quæ moderatæ usuræ iniquitatem manifeste evincat, clamant usurarum Patroni. Antequam ultra provehor, lubet nonnulla de more in hunc finem rescribere ex Authore *Dell' impiego del danaro*, qui lib. 3. cap. pag. 191. & seq. hæc scribit. *L' autorità, come abbiam veduto, sta certamente per noi.... Ragioni grandi certamente ci vorranno per escludere un uso, di cui tanto abbisogna la vita civile, e la società. Gli Autori fioriti ne' bassi e prossimi tempi con acuto ingegno sottili argomenti specularono per provar giusta, e ragionevole quell' opinione, che EQUIVOCANDO supposero derivare dalle Scritture. Confermat hic Author quæ aliis in locis pluries scribit, videlicet mutatum esse in Ecclesia seculo XIII. de scenore doctrinam. Scilicet istius ætatis Authores, nempe Bellovacensis, Raymundus, Thomas, Aletis; Albertus, Bonaventura, Scotus, Patrum prioris ætatis doctrinam ignorarunt. Alexander III., Urbanus III., Innocentius III., Gregorius IX. Clemens V., Martinus V., Leo V., Pius V., Sixtus V., Alexander VII., Innocentius XI., qui eandem omnino, ac cæteri laudati Theologi, doctrinam docent. Scripturarum, & Patrum antiquorum doctrinam minime calluere: opinionemque illam, quæ quamcumque vel moderatissimam usuram damnat, verborum illusionem decepti crediderunt a Scripturæ sancta proficisci. Equivocando*

supposero derivar dalla Scrittura. Genuina Divini Verbi intelligentia latuit Aquinatem, Angelicam præditum mente, qui dies, noctesque preces juges Deo fundebat, ut ejusdem sinceram assequeretur cognitionem: latuit Bonaventuram, Raymundum, Alexandrum, Innocentium, cæterosque Ecclesie Doctores: vera Arcani intelligentia homini reservata fuit, qui numquam contraversiæ huic studuerat, qui adversus sui Episcopi, & Cleri doctrinam classicum canit. Tam aspera ne oratione uteris? Quid? Surda ne autem omnium posterioris ætatis Doctorum contempionem a novo Theologo repente nato audiemus?

II. Sed pessequamur Adversarii argumentationem, Pergit itaque laudatus Author. *Pretendono di stabilir con la prima, che qualunque interesse sopra danaro altri prenda, peccchi contra la legge di natura. Strana sembra subito così fatta asserzione.... Adducono per fondamento, che la moneta non germoglia, siccome per sua natura sterile, ed infruttifera.... Da tale considerazione è nato il mirabile moderno assioma, che danaro non dee far danaro.... Col nuovo raziocinio degli Avversarij si potrebbe pretendere, che dica bugia chi dice di ricavar cento scudi dalla sua possessione, perchè la possessione non produce scudi, ma grani, ed uve. Questi sono giuochi di parole.... Non va considerata la moneta come metallo giacente in una cassa, ma come capitale utilmente impiegato. Come istrumento del negozio, non è più sterile, anzi nulla c'è di più fruttuoso al Mondo.... La moneta non partorisce, come terreno non partorisce terreno.... Pensier così straordinario in que' tempi, quando tutto si cercava in Aristotele, da Aristotele in parte fu derivato.... Non ci sarà certamente chi nieghi potersi allogare, e ricavar denari da un sito nella piazza opportuno per chi vende, da un palchetto in qualche spettacolo, da una sedia in qualche funzione.... E' dunque mero scherzo di parole, e che appunto per ischerzo parrebbe addotto il dire, che la moneta non possa rendersi fruttante, perchè non fruttifica da se.*

III. Hæ sunt captiunculae, quibus non repugnare naturæ juri moderatum scenus ostendunt. Verborum ludum appellat pecuniæ sterilitatem, cum ante Molinæum, cæterosque Calvinianos, & Broedersianos, a quibus omnia transcripsit Author noster, nemo talem sterilitatem negavit. Ut tamen sophismatis vanitas pateat, duo sunt fecunditatis genera distinguenda. Alterum productionis, seu generationis plantarum, agrorumque proprium: Agri, plantæ, res natura sua fecundæ sunt. Ut hos præ aliis fructibus pariant, industria humana opus est. Itaque agri ipsi excolti pariunt: ideo in eisdem usus rei a dominio distinguitur: & hoc retento, ille locari jure potest. Pecuniæ quavis humana industria excolta, seipsis numquam pariunt: sed semper steriles remanent, donec moraliter destruantur. Fecundi nummi evadunt utique; sed qua ratione? Media commutatione. Planum igitur est agrorum fecunditatem a fecunditate pecuniæ diversam esse. Quæ evidens, & manifesta diversitas id efficit, quod in agris dominium rei ab ejusdem usu optime distinguitur: secus in pecunia. Usu hæc consumitur, quatenus in aliam commutatur mercem. Ergo qui usum pecuniæ tradit, ejusdem quoque dominium tradat oportet. Nequit ergo ejusdem usus locari, retento dominio, sicuti agrorum, plantarum, domorumque usus locatur. Heinc est, quod si locatarii domorum, agrorum, equorumque hæc bona alienent, locatores ubicumque eadem inveniunt, repetere jure valent. Contra evenit in pecuniis a mutuatariis in alias merces distractis. Etiam si mutuatores easdem pecunias dignoscerent, earumdemque, ut ajunt, *identitatem* digito ostendere certo possent, nullum propterea jus repetendi, sibi vendicandi haberent. Posita hac evidenti diversitate, sensui communi manifesta, & ab universo humano genere, ante Calvinistas approbata, confirmataque, quis est qui non sentiat, quam vana, quam ridicularia sint quæ ex Adversario retulimus.

IV. Verum quoniam Adversariorum argumentatio eo spectat, ut evincatur, nulla lege moderatum usuram vetari, aliam *Broedersianorum* ab ea elicitam argumentationem habeto. Sic itaque ajunt: Christus in Evangelio ea dumtaxat prohibet, quæ sunt jure naturæ vetita. Nulla evidenti ratione demonstrari potest, moderatum scenus esse lege naturæ vetitum. Ergo demonstrari pariter nequit vetitum esse jure divino. In Evangelio, *Broedersen* inquit *lib. 4. cap. 2. nihil circa contractus, & commercia terrestria præscribitur, quod juris naturæ non est.* Idque fuscè demonstrare conatur. Porro *lib. 2. statuit, nulla naturali lege moderatas usuras a mercatoribus perceptas vetitas esse.*

V. Nemo inficias iverit, Christum Dominum in Evangelio potuisse usuras prohibere, etiam si legi naturali non adversarentur. Neque de hoc controversia esse potest. Pariter Patres, & Theologi communiter docent, Christum Dominum usuras omnes vetasse, tamquam naturali legi oppositas. Fallacia argumentationis propositæ in hac sita est propositione: „Nulla evidenti demonstrari ratione potest, usuras moderatas esse lege naturæ vetitas. „Fac rem ita se habere. Quid inde? Ergo non sunt jure naturæ interdicitæ? Evidenti ne demonstratione evinceret, legi naturæ repugnare uxorum in aliquo casu gravissimo pluralitatem, Matrimonii indissolubilitatem, consentiente utraque parte; sicuti in aliquo pariter casu fornicationem, & mendacium? Plura certe sunt lege naturæ vetita, quæ evidenter demonstrari nequeunt sic esse vetita. Quamquam igitur evidenter probari non possit, usuras præfatas legi naturali repugnare, non propterea inferri jure valet, non esse reapse lege naturali vetitas.

VI. Ne tamen Adversarii nostram sententiam rationibus ab ipsa natura repetitis destitutam esse inclaiment, lubet paucis ea perstringere, quæ produci a nonnullis Theologis solent, ut ostendatur, usuram legi naturæ adversari. Duo rationum genera hi afferunt, qui-

quibus probant, usuram jure naturæ vetitam esse: alterum ab auctoritate; alterum ab ejusdem naturæ principiis petitum. Et ut de primo pauca dicam, Prophetæ Domini usuram improbant, ut rem *injustam, & iniquam.* Eadem phrasi loquuntur Patres. *Lex prohibet* (inquit Clemens Alexandrinus *lib. 2. Stromat.*) *fratri fœnerari, INIQUUM censens, ut e pecuniis usuras colligamus, Lactantius lib. 6. Institut. c. 18. Plus accipere quam dederis, INIQUUM est.* Basilii, Ambrosii, Augustini, Hieronymus, cæterique Patres omnes, tamquam justitiæ commutantis violatricem, quamlibet usuram detestantur. S. Thomas (quem omnibus Junioribus usurarum Patronis in Scripturarum, Patrumque SS. cognitione, quis non præferat?) definit 2. 2. *quest. 77. art. 1. Accipere usuram pro pecunia mutuata, est SECUNDUM SE INJUSTUM.*

VII. Reponit Nicolaus *Broedersen lib. 2. pag. 2. cap. 5. num. 154.* vocem *iniquum* sumi ab Auctoribus pro improbo, licet justitiæ commutantem non violet. Sed gratis hoc asserit, nullaque ratione evincit. Subdit, S. Thomam usuram spectare sejunctam a circumstantiis. Verum habet. Quid inde? Circumstantiæ solum efficere queunt, ut lucrum, quod absolute esset scænebre, ob titulum supervenientem scænebre non sit. Cæterum usura, quæ secundum se injusta est, nulla circumstantia effici justa valet.

VIII. Accedit Theologorum, Canonistarum, & Juris consultorum auctoritas. Hi omnes jure naturæ vetitam communiter asserunt. Præterea si lege naturæ usura licita esset, Ecclesia minime in Judæis illam damnaret, nec eos ad restitutionem cogeret. Quid quod & ipsi Ethnici Doctores usuram omnem improbant. Plato *lib. 5. de legibus. Nemini mutuum dare ad scenus licito: ei, qui secus faxit, neque scenus, neque sors redditor.* Aristoteles *lib. 1. Polit. cap. 7. Optima ratione OMNIBUS odio est ars fœneratiæ, quod ab ipso mutuo quæstus fiat.* Seneca *lib. 2. de beneficiis. cap. 10. Quid est scenus, & calendarium, &*

usura, nisi humane cupiditatis extra naturam quæstus nomina contraria naturæ? Quid quod ipsa Respublica Romana sub initium sui Regiminis severius præfure sceneratorum puniebat. *Si quis unciario scenore sceneratus sit, quadruplicate luito.* Quare Cato de re rustica *lib. 1. scribit: Majores nostri sic habuerunt, & legibus posuerunt, furem dupli condemnari, sceneratorum quadrupli.* Effugium *Broedersen* ad usuras opprimentes futile est. Nam de scenore unciario sermo est, seu de centesima, quæ certe moderatum usura erat.

IX. Hæc Theologorum, Canonistarum, Jurisconsultorum, atque ipsorum Gentilium unanimis adversus usuram consensus, nulla facta sive pauperum, sive divitum distinctione, nonne prævalet omnibus ratiunculis, quas obtrudunt usurarum Patroni? Quid quod communis humani generis vox usuram detestatur? Quis est, qui scenerator, qui usurarius inaudire velit? Professio sceneratorum apud omnes cultas nationes dedecus, & infamiam præfert. Si jure naturæ usura licita esset, infamiae haberetur ejusdem professio?

X. De altero rationum genere nonnulla delibabo. In mutuo transfertur dominium rei mutuatiæ in accipientem. Atqui exigere pretium usus rei alienæ injustum est, naturæque repugnat. Ergo usura legi naturæ opponitur. Prima propositio supra demonstrata est, eamque docent omnes ad unum Theologi, Jurisconsulti, & Canonistæ, Singulas propositiones in discrimen adducit *Broedersen lib. 2. pag. 2. cap. 7.* Et primum negat, usuram esse lucrum ex mutuo. Quem errorem alibi confutavimus. Negat in mutatione transferri plenum dominium, quod tantumdem reddere debeat qui accipit pecuniam. Sed etiam agri emptor pactum pretium tempore constituto reddere debet: ergo agri empti non habet dominium? Paulus mutuatarius pecunia accepta emit a Petro equum: Petrus habet ne perfectum dominium pecuniæ, quam in pretium divenditi equi accipit a Paulo? Quis ibit inficias? Unde tale dominium

minium accedit, nisi a Paulo? Transtulit ergo Paulus dominium. Habebat ergo illud, cum nemo dare possit quod non habeat.

XI. Ineptissimum sophisma est, quod obtrudit *Broedersen* loc. cit. num. 239. videlicet, mutuatarium moriturum non posse alteri legare pecuniam mutuam, si nihil omnino aliud habeat, unde solvat mutuatori. Dives fundos habet suos: at debita, quibus gravatur, æquant fundos. Hos solum creditoribus legare potest. Ergo fundorum dominium non habet? Non minus futile est aliud exemplum de Monasterium ingrediente, qui nihil habens, præter summam mutuo acceptam, tenetur eam relinquere creditori. Hoc nempe tantum evincit, candidatum hunc debito solvendo obnoxium esse. Heinc patet, nullum hæcenus excogitare Adversarios potuisse solidum responsum, quo vis argumentationis factæ enervetur, utque infringatur.

XII. Instauratur proposita ratio, & majori in lumine collocatur. Adeo verum est in mutuo transferri dominium, ut pecunia accepta, fatentibus Adversariis, ipsi mutuatario pereat, secus mutuatori. Res autem Domino suo pereunt. Ergo mutuataris verus est Dominus. Negat *Broedersen* pecuniam mutuo acceptam mutuataris perire, adducitque exemplum ex Sacra Scriptura de *Asino*, vel *Bove* commodato. At perperam hoc obtruditur: quoniam de mutuo proprie dicto fermo est; secus de commodato. Verum homo iste religioni sibi non vertit negare solem in meridie lucere. Nonne experientia publica compertum est, rem mutuatiæ accipienti perire? Si summa mutuatiæ naufragio, incendio, rapina, infausta negotiatione, tota quanta est, occidat in nihilum, soli accipienti perit. Si vero ejusdem industria lucrosa evadit, lucrum dividendum est? Ubinam æquitas? Hoccine naturæ lumen præscribit? Sed ultra pergamus.

XIII. Omnes Theologi cum D. Thoma 2. 2. quest. 78. art. 1. evincunt, usuram ex eo juri naturæ repugnare, quod

fœnerator eandem rem bis vendit. Si quidem usus pecuniæ non distinguitur ab ejusdem proprietate: ergo qui præter pecuniæ sortem lucrum accipit, bis vendit eandem rem. *Broedersen* cum non habeat quid reponat, cit. lib. 3. pag. 2. cap. 8. num. 262. obtrudit Franciscanorum controversiam de distinctione usus, & domini; pluresque Theologos enumerat, qui distingui usum a dominio in præfata causa docent. At decipit lectores homo Schismaticus, qui modo a Molinæo, & Calvinistis cæteris, modo a Catholicis ea transcribit, quæ obnubilare veritatem queunt. Quis est Theologorum, quos ille laudat, qui doceat, usum pecuniæ, tamquam distinctum ab ejusdem dominio, divendi posse? Nemo unus. Omnes laudati a *Broedersen* docent in mutuo usum pecuniæ non distingui ab ejusdem proprietate. Ergo *Broedersen* turpiter errat, dum ex distinctione usus a dominio in causa Franciscanorum, infert hanc eandem distinctionem reperiri in contractu mutui. Quod de duobus societatem ineuntibus obtrudit, ibidem num. 269. quorum unus utitur pecunia, alter dominium habet, sophisma est ineptum. Venditur ne tunc pecuniæ usus? Nonne tunc socius utitur pecunia, non ut sua, sed tanquam capitali communi, quod Domino perit? Tempus proderem, si omnia, quæ *Broedersen* confarcinat, congererem; & numquam esset disputandi finis, si vellem garruli vitiligatoris ineptias quaslibet novis animadversionibus castigare.

XIV. Tandem ipsa mutui natura iniquitatem usuræ patefacit. Mutuum quippe natura sua gratuitum est. Ergo repugnat naturæ mutui, quod pretio vendatur. Quid enim naturæ repugnantius, quam ejus ordinem, finemque pervertere? Primam propositionem vel ipsi Adversarii concedunt. Audi Heinecium de Jur. Nat. & Gent. lib. 1. §. 367. ubi hæc habet: *Quamvis hic contractus (mutui) sua natura, non minus, quam commodatum, sit gratuitus: mos tamen, repescente jam caritate ho-*

minum,

minum, invaluit, ut creditores sibi premium aliquod pro sorte concessa a debitoribus stipularentur &c. Duo hic habemus, Alterum, gratuitum mutuum esse. Alterum, charitatis diminutione, seu ex hominum infirmitate, vel malitia fœnebre illud evadere. Subdit Heinecius §. 348. *Enim vero (loquitur enim & hic de mutuo) quum injustum non sit cum aliis res non gratis communicare, sed mercedem aliquam exigere &c. Pugnancia loquitur homo iste. Gratuitum mutuum est; & ex re gratuita mercedem recipere injustum non est? Injustum ergo non est naturæ pervertere ordinem? Injustum ergo non est gratuitam amicitiam, gratuitum Dei verbum, & cætera sacra, pacto pretio, vendere? Sed audiant quidam scituli Italiæ nostræ, qui Transalpinorum etiam Hæreticorum libros, ceu Sibyllina folia suscipiunt; audiant, inquam, Heinecii crassiores antilogias. Fatetur hic Jurisconsultus in mutuo transferri dominium. En illius verba §. 365. *Colligimus mutuum esse alienationem; rerumque creditarum dominium in Debitorem omnino transire. Quid quod invehitur in Salmasium, quia Jurisconsultos carpit, ob propugnatam in mutuo alienationem. Hæc quippe adjicit in enarratione ad præfata verba Heinecius: Notum est quos fluctus in simpulo moverit.... Claudius Salmasius, ut Jurisconsultos, hanc thesism defendentes, ludibrio exponeret. Sed tela ejus ex Jure Civili deprompta, tam fortiter retunderunt, aliaque multo insigniora in illum detorserrunt Wissembachius, Fabrettus, alique Viri doctissimi, ut causa hodie perorata videatur. Audi nunc eundem Heinecium §. 368. sic loquentem: *Rectissime inde colligere nobis videmur rectæ rationi in se non repugnare pactum usurarium, cum eo initum, qui ex pecunia NOSTRA lucrum insigne facere potest. Fateris pecuniam tuam alienatam esse: & Tuam vocas? Si alienata, quomodo tua? Et si tua quomodo alienata? An non sunt istæ manifestæ antilogiæ? Alienatam esse pecuniam mutuam, & in creditoris dominium transisse docent Juriscon-***

sulti, fatente Lutherano nostro. Cum ipso dominio, etiam, inquit Heinecius cit. §. 365., *Periculum ad debitorem procul dubio transit.* Porro ex usu rei alienæ pretium repetere, recte rationi non adversatur? Tota summa periculo subjacet solius debitoris: & lucrum commune erit tum creditori, tum debitori? Qui ergo sentit commodum, sentire non debet & onus? Duo heinc colligant *Broedersiani*, eorumque assemblæ. Alterum, ipsis Hæreticis fatentibus, rem mutuo creditam alienari, atque in debitoris dominium immigrare. Alterum, inane esse eorumdem rationum, quo in hunc modum arguantur: „ Quod utrique parti commodum est, vetitum esse nequit: usura „ moderata utrique parti commoda „ est: ergo licita. “ Major namque propositio absolute falsa est. Dissolutio matrimonii; uxorum pluralitas sæpe utrique parti commodissima est; propterea ne licita? Altera propositio magis falsa est. Si summa pecuniæ quocumque eventu aut sterili remanet, aut perit, unice debitori perit. Si vero industria debitoris lucrum parit, lucrum istud dividendum inter partes est? Adeo manifesta injustitia hic est, ut nulla tergiversatione eludere illam Adversarii queant. Obtrudere solent, alienari pecuniarum metalla; secus quantitatem. Sed hæc nimis inepta sunt, ut alias dixi. Alienari agrum, domum, equum dicemus, secus quantitatem? Ubi in universa Jurisprudencia futillis istius distinctionis vestigium?

XV. Plura alia rationum momenta adferre possem, quæ brevitatis gratia missa facio. Quasdam dumtaxat animadversiones perstringam. Et primum Jus Civile in mutuo transferri dominium docet. Qua sane translatione admitta, nullum superest Adversariis effugium. Respondet *Broedersen* cit. lib. 3. p. 2. c. 7. n. 248. his verbis: *Licet magna est Juris Civilis auctoritas, non tamen est infallibilis. Aliam responcionem præbet n. 247. Licet Jus Civile sanciat in mutuo transferri dominium, non sequitur propterea naturaliter illud trans-*

R

ferri,

ferri, sed potest illa translatio solummodo esse civilis. Hæc responsa luculenta sunt argumenta, quæ oppositæ sententiæ falsitatem patefaciunt. Siquidem ideo hæc excogitantur commenta, ut moderata usura honesta probetur. Cur enim Jus Civile, seu doctissimi Jurisconsulti statuisent hanc dominii translationem in mutuo, si mutui natura id non exigeret? Quæ necessitas istius arbitrariæ translationis? Qui fieri potuisset, ut tot sæculorum doctissimi Viri in eandem conspirassent sententiam; nisi naturæ lumen omnibus id præcepisset? Et *Broedersen* cum parvo asseclarum manipulo universæ Jurisconsultorum tum antiquorum, tum juniorum multitudini se se opponere audeat? Sed aliam addo animadversionem.

XVI. Theologi omnes octo circiter sæculorum eandem veritatem communiter docent; nempe in mutuo transferri dominium. Ex hac dominii translatione legi naturæ repugnare inferunt lucrum ex pecuniæ alienæ usu perceptum. Quoniam quæ usu unico consumuntur, bis venderentur, si aliud pro usu, aliud pro dominio pretium exigeretur. Has rationes ab ipsarum rerum notionibus, & ab ipsa natura repetitas probarunt octo sæculorum Sapientes unanimi consensu. *Molinæus* primus fuit, qui eas in discrimen revocavit. Eundem secuti sunt *Calvinistæ*, & his temporibus *Broedersiani*. Hoc adversus tot sæculorum Sapientes apertum bellum, nihil ne audaciæ, & temeritatis redolet? Tanta istis frons est, ut vultum erigere, calamumque acuere minime vereantur adversus omnes Catholicæ Religionis Theologos? Porro communi Theologorum consensui adversari, aut hæresis est, aut hæresim sapit, inquit *Melchior Canus*. Accedit, quod minus esset hæc oppositio audax, si idoneis rationum saltem coloribus esset fucata. Sed quæ opponunt, ut vidimus, ineptissima sunt. Negant transferri dominium, quod mutuator jus habeat ad repetendum tantundem. Jus istud cum ipso dominio confundunt, di-

stinctionemque, quam inter hæc duo Sapientes omnes tum Jurisconsulti, tum Canonistæ, & Theologi agnoscunt, derident ut somnium, aut arbitrium Scholasticorum commentum. Juxta istos *Broedersianos*, opifices, mercatores, qui Nobilium, & Magnatum creditores sunt, atque ad eo jus habent ad exigenda credita, dominium habent in illorum fundos, & palatia. Negabunt ne *Broedersiani* jus mercenariorum, opificum, mercatorum ad mercedem, ad credita exigenda? Si ergo, ut ipsi contendunt, jus ad rem idem est ac rei dominium; præfati creditoris dominio re ipsa potiuntur in Magnatum, & Nobilium fundos. Hæc autem vel ab ipsis Stoicis risum extorquent. Omnium tamen rerum notiones pervertunt *Broedersiani*, ut hæreticam doctrinam propugnent. Sed, quod omnem fidem superat, est, eos tam fidenter publico imponere, dum ajunt a se stare *S. Thomam*, *S. Bonaventuram*, *S. Antoninum*, & cæteros primi subfellii Theologos, qui nostram doctrinam acerrime defendunt, & Adversariorum commenta efficaciter labefactant. Labet iterum hic rescribere potissimum *Broedersianorum* sophisma a ratione petitum, & a *D. Thoma* jam a quinque sæculis convulsam. Est autem hujusmodi: *Plus mihi efficitur debitor ille, in quem transfuli dominium rei meæ, quam ille, cui solum usum rei meæ concessi. Sed in rebus, in quibus non transfertur dominium, si concedantur ad usum, licet inde aliquid accipere; sicut patet in locationibus domorum, equorum, & hujusmodi. Ergo multo amplius licet mihi accipere ab eo, in quem per mutuum pecuniæ meæ dominium transfuli. Paucis verbis sophisma diluit D. Thomas. Dicendum, quod hoc ipso, quod dominium pecuniæ meæ transfertur, est ratio, quare pro usu ejus nihil accipere debeam, vel sperare, quam mihi debitum. Hæc obiter dicta sint. Cæterum plura me daturum spondeo hoc de argumento, atque demonstraturum, nihil prorsus opponi a *Broedersianis*, usurarumque Patronis omnibus posse, quod*

quod in antecessum labefactatum non sit ab uno *S. Thoma Aquinate*. Nec tamen jacto demonstrationes evidentes, quæ solo humano ratiocinio partæ, iniquitatem usuræ omnibus persuadeant. Plura sunt jure naturæ verita, quæ evidentiter ob mentis nostræ imbecillitatem demonstrari nequeunt. Cæterum quamvis rationes a naturæ lumine repetitæ, vi luculentæ demonstrationis non fruuntur: ea tamen pollent efficacitate, ut solidum responsum non excipiant. Equidem responsum hujusmodi hætenus non legi. Oppositum judicabunt alii, quod diversa sint hominum ingenia.

§. VII.

Falsum commentum refellitur; nempe, SS. Patrum tempore consuetudinem moderatæ usuræ 4. aut 6. in centum non obtinuisse.

I. Singulis fere paginis inclamat *Autor Italus Operis: Dell' impiego del danaro*, SS. Patres solas usuras mordentes, opprimentes, atque immoderatas detestari: secus moderatas quæ hodie obtinent 4. aut 6. in centum. Cur hoc? Quod tunc temporis omnes usuræ essent immoderatae, & excedentes justum pretium. Moderatae quippe nondum natae erant. Pauca ex multis transcribo. *Lib. 2. c. 1. p. 81.* inquit: *Come i Padri Greci altro non riprovarono mai, che le usure enormi, e le da' poveri estorte. Pag. 82. Per ben intendergli, quell' equivoco sgombrar conviene, da cui questa disputa principalmente si genera. Parlano dell' usura de' tempi loro, e di quella, che aveano però dinanzi gli occhi, non d' altra essenzialmente diversa, che allora non c' era, e non era nata... il dar danari con sì tenue frutto, non s' è introdotto, che da poche età: negli antichi tempi erano smisurate le usure... Quinci declamavano i Padri, dell' eccesso intendendo, e dello scarnificar i miseri: non possiam però certamente appropriar i lor detti all' uso di far pagar a'*

facoltosi con lor vantaggio, e con lor piacere il quattro per cento.

II. Mirum est, Virum antiquitatis, & priscarum rerum callentissimum hæc scriptis mandare potuisse. Quod aliqui homines avarissimi hoc, aut illo tempore, & quolibet sæculo, qualibet ætate, & hac etiam nostra immanissimas, atque immoderatas usuras, cum possint, extorqueant, experientia compertum est. At de hoc, aut illo privatorum hominum scelere, nunc sermo non est. De illis usuris disputatur, quæ publicis legibus permittuntur, & quas homines sceneratores exercere publice solent. Porro quolibet tempore, etiam vetustissimo, Principes, & populorum Rectores in scœnora immoderata ipsi naturæ evidentissime repugnantia severissime animadverterunt. Quolibet tempore Principes leges tulerunt, quibus quantitas scœnoris exigendi præfinita fuit. Leges in medium afferamus, quas Romani, & Imperatores cum Ethnicis, tum Christiani pro cohibenda scœnatorum rapacitate, atque cupiditate rogarunt.

III. Et, ut ab antiquissimo ipsius Romanæ Reipublicæ tempore initium capiam, hæc scribit *Livius lib. 10. & 35.* aliisque in locis. *Civitas scœnore laborabat; & cum multis scœnebris legibus constricta avaritia esset, via fraudis inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iisdem legibus, nomina transferrent. Ita libero scœnore obruebant debitores. Cornelius Tacitus lib. 6. Annal. ad ann. Urb. conditæ 986. Sane vetus Urbi scœnebre malum, & seditionum, discordiarumque creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque, & minus corruptis moribus. Nam primo duodecim Tabulis sanctum, ne quis unciario scœnore amplius exerceat, cum antea ex libidine locupletum agitaretur. Dein rogatione Tribunitia ad Sempronias redacta. Postremo vetita usura; multisque Plebiscitis obviam itum fraudibus, quæ toties repressæ, miras per artes rursus oriebantur. Unciarum scœnus centesima erat, nempe duodecim in 100. quæ usura moderata tunc erat. Semunciarum scœnus sex in 100. prodit:*

illudque parvum fœnus erat. Augustus fœnus diminuit, ut refert Svetonius in ejus vita. Nam & in *veſta Urbi, Alexandrino triumpho, Regia gaza tantam copiam nummarie rei effecit, ut, fœnore diminuto, plurimum pretii acceſſerit. Et poſtea, quoties ex damnatorum bonis pecunia ſuperflueret, uſum ejus gratuitum iis, qui cavere in duplum poſſent, ad tempus indulſit.* Imperator Antoninus Pius fœnus ad minimam coercuit quantitatem, ut narrat Capitolinus in ejus Vita. Idem fœnus Trientarium hoc eſt minimis uſuris exercuit, ut patrimonio ſuo plurimos juvaret. Fœnus Trientarium eſt quatuor in centum. Hæc erat minima uſura; centeſima vero communis, & moderata. Imperator Alexander Severus fœneratorum centeſimas ad quatuor redegit, ut narrat Lampridius in ejus vita. Uſuras fœneratorum traxit ad trientes penſiones, etiam pauperibus conſulens. Si plura aves, conſule Thomasinum in tractatu de negot. & uſur. vulgari ſermone ſcripto. Imperatores Severus, & Antoninus conſtituerunt, ne ex nudo pacto, ſeu ex nuda promiſſione, ſed ſolum ex ſtipulatione, aliquibus exceptis caſibus, uſuræ deberentur, ut patet ex l. 3. cod. de uſur. Quamvis uſuræ fœnebris pecunie citra vinculum ſtipulationis peti non poſſint, tamen ex pacto conventionem, accepto ferenda ſunt. Ubi Gloſſa inquit: Uſuræ ex promiſſione non debentur, niſi ſtipulanti ſint promiſſæ. Quoniam, inquit Juriconſulti l. 62. ff. De rei vendicatione: Uſura non natura pervenit, ſed jure percipitur: videlicet, mutui contractus natura ſua gratuitus eſt, & fœnus ultra ſortem eſt contra ejuſdem contractus naturam; ideoque natura ſua injuſtum. Verum quia mutuum judicatum fuit opportunum ad res gerendas, toleratæ uſuræ fuere. Quia vero uſuræ valde odioſæ erant, cautum fuit, ne ex ſimplici conventionem, promiſſione, aut pacto repeti poſſent, niſi in contractu ſolemnitas ſtipulationis acceſſiſſet.

IV. Adeo probroſa erat fœneris profeſſio, ut Senatoribus vetita primum fuerit ab Alexandro Severo. Poſt in-

dultum illis fuit, ut ſex, vel, ut contendit Thomasinus in laudato tractatu, duo in centum dumtaxat iſdem ſolverentur. Ad hanc animam intendens S. Joannes Chryſoſtomus ſic argumentatur homil. 56. alias 57. in Matt. Si velis externos legiſtatores audire, audies illos id extrema imprudentiæ eſſe putare. Certe iis, qui dignitates occupant, quique Senatuum magnum conſtituunt, non licet hujusmodi lucro dehoneſtari. Sed lex apud illos eſt, quæ id prohibet. Quomodo igitur non horrendum fuerit, ſi non parem cæleſti Civitati honorem tribuas, qualem legiſtatores Romanorum Senatui tribuunt, ſed minorem cælo referas, neque te pudeat tantæ turpitudinis? Duo tantum, vel ad ſummum ſex in centum exigebant Senatores. Uſura iſthæc, tameſi moderatiſſima, iſdem vitandi majoris mali cauſa permiſſa interdum fuit. Cæterum vetita illis erat, utpote quæ infamiæ labe eorumdem dignitatem deturpabat. Heinc adverſus fœneratores Chriſtianos amplam argumentandi materiam colligit S. Chryſoſtomus. Hæc ſatis eſſent ad demonſtrandum oppoſitæ aſſertionis falſitatem. Verum nonnulla ex Imperatoribus Chriſtianiſ adferre etiam lubet.

V. Conſtantine Imperator pro frugibus mutuo datis immodicam toleravit uſuram, nempe ſeſcuplum, ſic exigente illorum temporum calamitate. Hujus quippe Imperatoris ſubditi majori ex parte Idololatæ erant: vetuit tamen, ne pro pecunia mutuatiſ quidquam ultra centeſimam reciperetur. Lex Conſtantine habetur in Cod. Theod. lib. 2. tit. 43. l. 1. & 2. Pro pecunia ultra ſingulas centeſimas creditor vetatur accipere.... Quicumque ultra centeſimam lege permiſſam aliquid ſub occasione neceſſitatis eruerit, quadrupli pœna, & obligatione conſtrictus, ſine ceſſatione, ſine reſque protinus ablata, redhibebit. Arcadius Imperator, Theodoſii filius, permiſit Senatoribus, iſtorum avaritiæ ſic poſtulate, medietatem centeſimæ. Senatoribus ſub medietatem centeſimæ uſuræ ad contractum credite pecunie cenſemus admittere. In hanc tolerantiam invehitur

Augu-

Auguſtinus epiſt. 153. ubi inquit. Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſe leges, & iudices reddi jubent. Audiant Broderſiani quod ſequitur: Hæc, atque ejuſmodi, MALE utique poſſidentur ſed non eſt quo iudice repetantur. Injuſte poſſideri fœnora moderata, immo moderatiſſima, qualia erant ſex, aut quatuor, aut duo in 100. clamat Auguſtinus. Sed iudex non erat, qui ad reſtitutionem compelleret.

VI. Juſtinianus Imperator pro coercendis uſuris leges rogavit C. de uſur. leg. 26. Et primum quidem reſpectu Nobilium legem tulit. Ideo jubemus illuſtribus quidem perſonis, ſive eas præcedentibus, minime licere ultra tertiam partem (quatuor pro centum) centeſimæ uſurarum nomine in quocumque contractu vili, vel maximo ſtipulari. Octo pro centum permiſit mercatoribus, & opificibus. Illos vero, qui ergaſtariis præſunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, uſque ad beſſem centeſimæ uſurarum nomine in quocumque contractu ſuam ſtipulationem moderari. Pro communi hominum multitudine ſemiſſem, ſeu ſex in 100. conſtituit. Cæteros autem omnes homines dimidia tantummodo centeſimæ, uſurarum nomine, poſſe ſtipulari, & eam quantitatem uſurarum etiam in aliis omnibus caſibus nullo modo ampliari, in quibus circa ſtipulationem exigi ſolent. Nec liceat iudici memoratam augere taxationem occasione conſuetudinis in regione obtinentis. Fœnus trajetitiſ ad centeſimam reſtrinxit. Reſpectu Agricolarum uſuram pro frugibus ad octavam modii partem; pro pecunia ad quatuor pro 100. coarctavit. Mirum eſt, hæc documenta ita latuiſſe Authorem Operis: Dell' impiego del danaro, ut ſcriberet ſingulis paginis, occasione data, SS. PP. in uſuras tantum immoderatas declamaſſe, uſurasque moderatas quatuor, aut ſex in centum antiquis temporibus fuiſſe incognitas, & tempore dumtaxat nobis proximo eſſe natas. Hoc profeſſo ſcribi nequit abſque Principum univerſæ antiquæ, & mediæ ætatis injuria. Quolibet ſiquidem ſæculo Principes uſurarum quantitatem præſumere,

VII. Porro has uſuras non probatas, ſed permiſſas, ut permittuntur lupanaria, a Juſtiniano, aliſque Imperatoribus docent Catholici cum S. Thoma 2. 2. q. 78. a. 1. Quod confirmat vel ipſe Imperator Leo ſapiens, qui uſuras a Baſilio Patre vetitas ſe permittere declarat ob humanæ naturæ infirmitatem. Hæc ſunt ejuſdem Leonis verba, quæ habentur in Novel. 83. „ Si a ſpiritus legibus ita ſe mortale genus regi ſineret, ut humanis præceptis nihil indigeret, id vero & decorum & ſalutare eſſet. At quoniam ſe ad ſpiritus ſublimitatem elevare, divinaque legis vocem amplecti non cuiusque eſt; ac vero quos huc virtus ducat, numero valde pauci ſunt, bene adhuc ſe res haberet, ſi ſaltem ſecundum leges humanas viveretur. Quæ vocantur pecuniæ creditæ uſuræ, ubique a ſpiritus decreto condemnantur. Id ſciens Pater noſter, æternæ memoriæ Princeps, uſurarum ſolutionem ſanctione ſua prohibendam putavit. Atqui propter paupertatem res illa, non in melius (quem tamen finem Legiſlator ſibi propoſuerat), ſed contra in pejus vergit. Qui enim antea uſurarum ſpe ad mutuandum pecuniam prompti fuerant, poſt latam legem, quod nihil lucri ex MUTUO percipere poſſint in eos, qui pecuniis indigent, diſſiciles, atque immites ſunt. Quin etiam ad facile jurandum, quod id fere conſequitur, ad juſjurandum abnegandum id occasionem præbuit. Breviter, propter redundantem in humana vita perverſitatem, non modo non profuit legi virtus, verum etiam obſuit. Quamquam igitur ex ſe legem culpæ (quod quidem etiam abſit) nequeamus, propterea tamen quod humana natura (quomodo diximus) ad illius ſublimitatem non perveniat, egregium illud præſcriptum abrogamus, & in contrarium ſtatuiſſimus, ut æris alieni uſus ad uſuras procedat; idque, quomodo veteribus legiſlatoribus placuit, ad TRIENTES centeſimæ, nempe quæ

„ quor-